

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 26

In nomine Dei et salvatoris nostri Jhesu Christi, Hludouuicus divina ordinante providentia imperator augustus. Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vichariis, centenariis, thelonariis, actionariis, missis nostris discurrentibus vel hominibus rem publicam administrantibus, seu ceteris fidelibus sancte Dei ecclesie et nostris tam presentibus quam et futuris, notum sit quia vir venerabilis Wirundus abba et omnis congregatio ex monasterio Stabulau et Malmundario, quod est situm in silva Ardennense, constructum in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli seu et sancti Martini, ubi et sanctus Remaclus corpore requiescit, petierunt serenitatem nostram ut eis concessissemus theloneum de eorum navibus que per Renum et per Mosam flumina propter eorum subplendas necessitates discurrunt, necnon et de carris et saginariis necessaria eorum deferentibus. Quorum petitionibus nobis ob amorem Dei et venerationem sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Martini confessoris annuere, et hoc preceptum magnificentia nostra firmitatis gratia circa ipsos fieri libuit, per quod jubemus atque precipimus ut nemo fidelium nostrorum nec quilibet exactor judiciarie potestatis de carris vel saginariis ipsius congregationis de quolibet commertio undecumque videlicet fiscus theloneum exigere potest, ut nullo loco theloneum accipere vel exigere presumat. Naves vero que dicta flumina ob utilitatem et necessitatem ipsius congregationis discurrunt, ad quascumque civitates aut portus vel cetera loca accessum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui eas preident, nullum theloneum, aut ripaticum, aut postaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut cenaticum, aut pastionem, aut traувaticum, aut ullum occursum vel ullum censum aut ullam redibitionem accipere vel exigere audeat, sed licitum sit eis absque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc nostram auctoritatem naves et homines qui eas providere debent cum his que deferunt per universum imperium nostrum libere atque secure ire et redire, et si aliquas moras in qualibet loca fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nichil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Et ut hec auctoritas firmior habeatur et a fidelibus sancte Dei ecclesie et nostris diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, et anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum (L. M.) Hludouuici serenissimi imperatoris.

Data kal. octob., anno primo Christo propitio imperii domni Hludouuici augusti, indictione VIII. Actum Cispiaco palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.